Ordinis Carmelitarum Prouinciæ Bethicæ.

1 Eme, & Rme Dne. TAmetsi satis, superque in præteritis scriptis comprobata videatur nullitas controuersæ electionis, ob resistentiam, quam contra se habet in pluribus, tùm Sacrorum Canonum; tùm Constitutionum Apostolicarum, & Regularum Ordinis, nihilominus vt ad aliquas difficultates inter informandum auditas, plenius occurramus, iterum supplicamus EE.PP., vt infra dicenda benignè dignentur animaduertere.

2 Et inprimis patentissimam nullitatem, quæ resultat ex coarctatione electionis ad certas designatas Personas, quæ cum repugnet omnimodæ libertati volitæ in electionibus à Sac. Canonibus, eo ipso nullitatem importat secutæ electionis, vt sunt *Text. in cap. Cum terra 4. de elect., & cap. vbi periculum §. Cæterum eod. tit. in 6., & Clem. ne Romanus pariter de elect., & cum cæteris adduct. in Restr. pro antecedenti Congregatione §. Omnium Roderic. quæst. can.51. art.11. lib.2. Passarin. de elect. cap.2. num.12. Mattheucc. in Official. Cur. Eccles. cap.18. nu.2., apud quos resolutiones Sac. Congregationis Pignattell. consult.77. nu.9. tom.10. Rot. decis.65. num.6. part.1., & decis.279. num.25., & seq. part.9. recent.* Tamque grauitèr Sacri Canones exosi sunt huiusmodi restrictiones contrarias libertati in electionibus, vt quamcumque consuetudinem aliàs introductam, voluerint aboleri, & esse impræscriptibilem, vt est in puncto *Text. in dicto cap. Cum Terra de elect.* ibi = *Prauæ consuetudinis morbus irrepsit* = & rursùs = *Præscriptam consuetudinis prauitatem sancimus penitùs abolendam* = & ibi plenè notat *Fagnan. num.1. 12. & per tot.* & signanter *num.7.*, vbi ex dictis verbis probat, sublatam esse etiam consuetudinem immemorabilem.

3 Adhùc ad substinendam in præsenti casu talem restrictionem plura exaduerso proponuntur, quæ tamèn maturè ponderata, nullo modo præbere potuerunt recessum à Sacris Canonibus, nec actum adeò ab illis improbatum licitum reddere. Dùm enim contenditur, quod non verificetur eadem restrictio, & respectiuè Sacrorum Canonum prohibitio, nisi quando facta sit ad numerum trium dumtaxàt; obstat illicò, quod huiusmodi opinio reiecta est non solùm à grauissimis DD., sed etiam ab oraculo Sac. Congregationis, quæ aliàs declarauit in quocumque numero verificari posse eamdem restrictionem, vt referunt *Mattheucc. in Official. Cur. Eccles. dicto cap.18. sub num.2., & Passarin.*

exad-

ex aduerso allegat. de elect. cap.2. num.26. & 27. ibi = *Sacra Congregatio sub die 15. Octobris 1585. declarauit, quod non licet Generali N. proponere duos, tres, quatuor, decem, ex quibus vnus eligi possit Prouincialis, vel Prior* = subditque *Passarin. ibid.* ita = *In qua declaratione sumitur numerus determinatus pro indeterminato, & infinito, vt sit sensus, quod ad quemcumque numerum eligendorum nequit coarctari eligentium libertas; quia in quocumque numero fiat coarctatio, semper militat eadem ratio, quæ est violatio Iuris eligentium.*

4 Substinet iterùm Pars aduersa, quod hæc restrictio licita esse potuerit ob potestatem, quam habet ea vtendi Reuerendissimus Generalis ex Constitutionibus Ordinis *part.4. de elect. Prouincialis num.2.*; vbi determinatur, quod nullus possit eligi in Prouincialem, nisi fuerit nominatus, & præsentatus Gremialibus Capituli à Priore Generali, vel eius Vicario de ipsius consensu, vt in *contrario præterito Restr.* §.36.

5 Verum enim vero non regit, quod Constitutio dicto loco det facultatem vllam Reuerendissimo Generali electionem restringendi; Nàm dat in littera solam facultatem nominandi, quæ stare potest sine restrictione, itaùt resoluatur in insinuationem, quam vocales sequi non teneantur. Aliàs enim haberetur expressa contradictio cum alijs partibus, & dispositionibus earumdem Constitutionum, iuxtà quas *part.4. cap.4. num.9.* disponitur electores *iurare debere, quod secundum veritatem suæ conscientiæ eligent probiores, & magis idoneos seruata forma Sac. Concilij Trident.* Si autem possent à Generali coarctari ad eligendum hunc vel illum ab ipso nominatum, vel frustraneum euaderet hoc Iuramentum, vel præter eius legem eligere tenerentur, non quem probiorem iudicarent, sed quem Generalis proposuisset.

6 Coarctatio item secumferret, vt à Generali non nominati, eligi non possent vllo modo, & sic induceretur respectu eorum, qui non sunt nominati priuatio vocis passiuæ, vt notarunt *Passerin. de elect. cap.2. num.26.* ibi = *Facit etiam iniuriam alijs, quos à voce passiua excludit sine causa rationabili* = *Barbos. de Iur. Eccles. lib.1. cap.19. num.233.* Hanc verò facultatem priuandi voce passiua in electionibus Patrem Generalem obtinere non legimus in Constitutionibus, nisi quatenùs concurrant causæ expressæ *part.5. cap.7.* En igitur, quod ex hac quoque causa, admissio talis facultatis in P. Generali repugnaret cùm alijs regulis Ordinis, & tamèn regula Iuris est, vt contradictio, & contrarietas in themate eiusdem dispositionis, regulæ, & Statuti quacumque possibili interpretatione vitetur ad *Text. in l. Non ad ea 89. ff. de condit., & demonstrat. l. Præcipitur 32. in fin. C. de appellat. Rosde-*

dec.31. n.3. par.3. recent. dec.651. n.22. coram Dunozett. Iun. & dec.13. n.6. ad ornat. Card. de Luc. de donat.

7 Ne propterea tanta inducatur contrarietas cum ipsis Constitutionibus, neuè tantus detur recessus à Sacris Canonibus, ea potiùs sequenda est interpretatio, quod facultas P. Generali in dicto *Capitulo 15. part.4. num.2.* attributa, intelligatur de nominatione *certi generis Personarum*, non verò de nominatione *certarum Personarum*, vt in præsenti factum fuit. Probatur hoc ex sensu ipso Constitutionum loco citato; nàm addunt vlteriùs, quod in huiusmodi nominatione debet Generalis, *omnem adhibere diligentiam, vt veram, & certam habeat cognitionem omnium, & singulorum Magistrorum, aliorumque Grauiorum Patrum, cuiuscumque Prouinciæ*. Iàm enim hic Constitutio respicit ad genus Personarum, non ad designatas personas, prout sunt *Magistri, vel alij Grauiores Patres, puta Priores, Diffinitores &c.* Dùm itaque habuit quoque Constitutio eodem loco primarium intuitum prouidendi Bono publico Religionis, & ideò talem diligentiam Generali iniunxit, *ne contingat Reuerendissimum Patrem in huiusmodi nominatione digniores omittendo, minùs dignos, ob non habitam debitam eorum notitiam CVM RELIGIONIS DETRIMENTO Gremialibus proponere*, vt sunt verba præcisa *dicti cap.15. num.2.*, sensus is esse debet, vt si queat importare restrictionem, illam inducat quoad certum genus personarum, cui verba magis conuenire videntur, & in quo magis prouideatur bono Publico Religionis; non quoad certas tantùm personas, quæ potiùs opponitur bono Publico, cum in priuatis personis, magis operari possit affectus Superioris. Sic in puncto benè distinguit *P. Lezzana* satis conscius de potestate Generalis Carmelitarum, dum eius Socij munere fungebatur, licèt in contrarium malè allegatus, *quæst. moral. tom.2. tit. Electio inter Regulares cap.5. num.224*: dum ad firmandam nullitatem restrictionis ad certas personas, distinguit cum nominatione certi generis, tradens *Est enim valdè diuersa dispositio ab illa, qua restringitur Electio ad certum genus personarum. Siquidem in hac prouidetur bono Publico; quod efficaciùs promoueri potest à Gremialibus Capituli Prouincialis, si Definitores, ex illis assumantur, vtpotè qui velut prudentiores à Conuentibus directi fuerunt ad Capitulum. In illa verò sola consideratio priuatarum personarum videtur mouisse affectum illius Superioris, qui coarctat electionem, quod potiùs opponitur bono publico. Vnde non crediderim legitimam huiusmodi coarctationem.*

8 Euidentissimè talis fuisse sensus dictæ Constitutionis ostenditur ex inconcussa obseruantia, iuxtà quam in quotquot Capitulis ha-

ctenus in Ordine Carmelitarum celebratis interfuit ista P. Generalis nominatio, nusquam fuit cum vlla restrictione ad certas personas, extrà quas cadere non posset electio, sed tantummodò indicatiua certi generis Personarum,& plerumque *Magistrorum*, de quibus loquitur Textus Constitutionis. Ad suadendam hanc veritatem reuoluta fuerunt Acta Capitulorum, & compertum est tàm in antiquis Capitulis, quàm in modernis, talem semper fuisse vsum Generalium pro tempore, vt docemus per extractionem eorumdem Actorum legitimè factam, quàm exhibemus *præsenti num.*1. & originaliter in manibus Eminentissimi Ponentis.

9 Concurrente hac consuetudine, & obseruantia longæua in actibus, qui plerumque in omnibus Prouincijs quolibet triennio renouantur, & adeò firma, vt nullus penitùs actus exhiberi queat, in quo contigerit nominatio certarum personarum vt hic; ampliùs dubitari nequit de sensu, in quem intelligenda sit Constitutio circa facultatem nominandi tributam Generali: Nàm notorius est effectus huiusmodi obseruantiæ, quod ostendat præcisè quid in ea concessum, & dispositum sit, nec quid plus ex ea attributum censeatur, quam quod præseferat eadem longæua, & nusquam interrupta obseruantia ad firmat. *decis.*59. *num.*12. *coram Mantica*, *decis.*7. *num.*6. *coram Cels. decis.*842. *num.*12. *coram Cerro*, *decis.*213. *num.*14. *&* 15., *decis.*610. *num.*11. *&* 12. *& decis.*760. *num.*9. *coram clar. mem. Card. Caprara*; Et attendenda tantò fortiùs est in terminis, de quibus agimus, hæc obseruantia, quià vt diximus, magis adhæret verbis ipsis Constitutionis, ac bono publico Religionis, & minorem importat recessum in re odiosa, qualis est restrictio contra naturalem eligentium libertatem, à dispositione Iuris Canonici, à quo vt minùs recessum sit semper fieri debet interpretatio, cum illi imò conformis præsumi debeat quælibet dispositio, *Cyriac. controu.*385. *num.*14. *&* 18. *Rot. decis.*68. *num.*5. *coram Millin. decis.*494. *num.*14. *part.*18., *decis.*165. *num.*9. *part.*19. *recent. decis.*950. *num.*16. *& decis.*1147. *num.*7. *coram Emerix Iun.*, *& decis.*208. *num.*38. *coram clar. mem. Card. Caprara*. Et sine vlla difficultate, quia lex etiam est specialis totius Ordinis ædita in Capitulo Generali anni 1660. = *Quod Reuerendissimus Generalis, non possit in similibus Propositionibus, & nominationibus decernere contra consuetudinem* = Vndè neque poterat in præsenti ab illa recedere, neque valet postquam ità tandiù seruatum, nouissimus actus substineri, ex quo esset in facultatibus Generalis vti vel non vti tali potestate. Nàm actus diuturno tempore seruati, & cum præmissis circumstantijs, quod magis adhæreant dispositioni Iuris,

sen-

sensui Constitutionis, ac bono publico tribui ampliùs non debent, facultati illos ità exercendi vel non, sed tribui debent præcisè, necessitati, *Rot. decis.212. num.2.*, *& decis.323. num.4. coram Seraphin.*, *& decis.139. num.21. cum seqq. part.17. rec.*

10 Quotiescumque igitur non competebat Reuerendissimo Generali, qui cum suis facultatibus deputauit Præsidem Capituli Prouincialis vti huiusmodi facultate electionem coarctandi ad certas Personas, quia ista non est facultas, quæ ei attributa fuit nominandi per Constitutiones Ordinis dicta *par. 4. cap. 15. num. 2.* tàm de per se stabilis, & certa remaneret nullitas istius Electionis, vt vlterius progredi opus non foret. Sed adhuc ponderandum proponimus EE. PP., quod nequidèm circà vsum talis facultatis seruata esset forma præscripta per Constitutiones *loc. cit.* Ibi enim non remittitur arbitrio Generalis, nec Præsidis Capituli nominare absolutè has, vel illas Personas sed modus præscribitur, & forma istius Nominationis. Iuxtà enim verba supra relata §. 7. omnem tenetur Generalis adhibere diligentiam, *vt ueram & certam habeat cognitionem omnium, & singulorum Magistrorum, aliorumque grauiorum Patrum* reddita ratione, *ne contingat in huiusmodi nominatione digniores omittendo, minus dignos cum Religionis detrimento proponere*; Circa verò hunc modum, istamque formam duplicitèr peccatum est; Nàm spreta lege adhibendi iniunctam diligentiam delegata est facultas futuro Præsidi nominandi *QVOS LIBVERIT*, vt legitur *primo nostro Sum. num. 8. litt. A.*, & Præses vtendo tali facultate digniores, omisit, & minus dignos, quod in Religionis vergit detrimentum, præcisè proposuit, itaut ex hoc ipso actus huiusmodi euaserit nullus per *Text. in l.cum hi §. Si Prætor ff. de Transact. & l. qui Romæ §. Flauius ff. de verb. signif. Lezan. to. 4. consult. 10. n. 15. cum sequen.*

11 Et quod verè electi non fuerint seu propositi Digniores, atque imò minus Digni, in hac temporis angustia adhuc docemus, ex quo inter ceteros fuit propositus *P. Idelphonsus de Leon*, qui erat vnus ex illis Religiosis, qui ob denegatam legitimo Superiori paritionem in Collegio S. Alberti fuerat excommunicatus, & tempore Electionis in carceribus d. Collegij reperiebatur adstrictus, nec tametsi ageret annos 66., ullum adhuc obtinuerat Officium in Religione. Item propositus fuit P. Mureno, qui tametsi sit probus Religiosus, non tamen huc vsque est Magister de numero; ideoque ad exclusionem tot aliorum, & Seniorum, & Magistrorum de numero, & qualificatorum proponi non poterat, quos haberi potuisse in nostra Prouincia nequidem credimus impugnandum. Non satisfecit proindè Constitutioni in haç par-

re demandanti præcisè dignorum propositionem, si palam est, quod, & minus dignos in adeo restricto numero sex Personarum proposuit, vt in terminis curandæ tantum dignioris electionis per Præsidentes benè explicat *Lezzan. d. tom. 2. tit. Electio inter Regulares cap.3. num. signanter* 155.; vbi id confirmat ex dispositione Sac. Concilij, & Decretis Summorũ Pontificum, necnon Constitutionibus Ordinis, concludens, quod non solum Electores debent eligere digniores, & magis idoneos, sed etiam id Electoribus debent præcipere Præsidentes, ac iurare se ita curaturos itaut tale Iuramentum semper inclusum intelligatur in præcepto Præsidentis, etiamsi expresse non pronunciaretur atque vlterius peccatum etiam est in ista nominatione contrà Decretum æditum circa illam in Comitijs Generalibus *anni* 1704., in quibus agendo de nonnullis Capitulis authoritatis Reuerendissimi Generalis *num.* 2. expresse dispositum fuit ita = *Non nominentur eligendi in Prouinciales nisi de uoto Assistentium Generalium* = Quod sanè votum in præsenti adhibere nec a longè cogitatum est: Vndè etiam ob spretum tale decretum, quod legitur in actis *d. Capituli fol.* 25. *num.* 2., & vim legis obtinet irrita fuit eadem Nominatio.

12 Sicut autem ex his nullitas Electionis ex capite huius restrictionis saluari non potest virtute facultatum Generalis ità ne quidem colorari potest ex acceptatione Electorum: Nàm si ante ipsam Electionem P. Sandoual, cum alijs decem, & octo vocalibus contrà imminentem Electionem sub præuisis Nullitatibus protestatus fuerat, eamdemque protestationem vna cum alijs die post secutam eamdem electionem repetijt, hoc protectò sufficit vt nulla penitùs allegari queat concors Vocalium acceptatio, cum imò præseferat talis protestatio, quod Protestantium nullus adfuit consensus, vt probant *Mascard. de Probat. concl.* 1054. *num.* 11. *lib.* 2. *Sperell. decis.* 75. *num.* 52. *& seq. Rot. decis.* 863. *num.* 5. *coràm Seraphin.*, *& decis.* 163. *num.* 50. *coràm Cerro*. Satisque est, quod huiusmodi protestatio facta fuerit penès acta Notarij publici; prout facta legitur *primo nostro Summario num.* 15. & 16. ad hoc vt attendenda sit pro huiusmodi effectu manifestandi animi, & dissensus protestantium, vt docent *Abbas in cap.* 1. *num.* 6. *de ijs qui vi metusue caus. Bart. in leg. de Pupillo* §. *Si quis ipsi Prætori num.* 22. *ff. de Oper. nonnunciat. Rot. decis.* 138. *num.* 21. *coram Cerro*, *& decis.* 54. *num.* 5. *part.* 18. *recen.*

13 Nec quidquam operatur, quod in ipsa electione alter ex Vocalibus suffragatus sit in Personam non nominatam. Quoniam id potiùs ostendit contrarium animum acquiescendi eidem Nomi-

nationi.

nationi, & Restrictioni, & redeundi ad eam libertatem, quæ ipsis de iure competebat, & iuxtà quam poterant non obstante coarctatione a Iure improbata dignum quemcumque etiam non nominatum eligere, vt cum alijs probant *Donat. in Prax. Regular. tom. 2. tract. 1. quæst. 10. num. 15. D. Pitonius discept. 21. num. 22.*, *& præceteris Passarin. citat. cap. 2. num. 3.* = ibi = *Ideò factu quacumque huiusmodi limitatione, si Electores eligant alium dignum extrà numerum Propositorum electio est confirmanda Si vero eligant vnum ex numero proposito licet electio non sit ipso iure nulla, quia non est contra substantiam Electionis; sed instantia tamen eorum, qui elegerunt cassari debet.*

14 Conuicti ex his Domini exaduerso scribentes, recurrebant ad extendendam huic actui auctoritatem Apostolicam, virtute Breuis Sanctissimi *relat. in contrario Summario num. 1.* æditi in confirmationem Deputationis factæ in Præsidentem Capituli de dignissima Persona Reuerendissimi Archiepiscopi Hispalensis cum autèm idem Breue sonet in simplicem dictæ deputationis Præsidentis confirmationem cum facultatibus illi datis in eius Epistolis à P. Generali, inseruit profectò ad confirmationem, & approbationem earum facultatum, quæ à P. Generali iuxta Ordinis Constitutiones, & Sac. Canones concedi, & transferri in eumdem Reuerendissimum Præsidentem potuerunt; Nihil tamèn de nouo tribuit, nulloque modo inseruit ad ampliandas, & extendendas contra Sac. Canones, & Constitutiones Ordinis facultates, quas P. Generalis, vt vidimus non obtinebat, neque poterat idcircò transferre; ità *Canonistæ in cap. 1. de confirm. vtil. vel inutil. Pignattell. consult. 71. num. 2. & 3. tom. 5. Rot. decis. vnica num. 2. de confirm. coràm Cassador. decis. 702. num. 6. part. 1. diuers. decis. 267. num. 1. coràm Ludouis., ibique Adden. num. 10., decis. 229. num. 15. par. 19. recent.*, & pleniùs *decis. 154. num. 24. cum seqq. coràm clar. mem. Card. Caprara.* & plenius demonstrauimus *in nostra præterita Resp. §. Sicque cum sequen.*, in qua satisfecimus etiam circumstantiæ exaduerso propositæ confirmationis, quam non auditis oppositoribus obtinuit Aduersarius à Rmo Generali.

15 Ad aliam transitum facimus nullitatem æquè claram Augumenti vocalium, admittendo ad suffragium ferendum illos, qui tali iure non potiebantur, & excludendo illos qui hoc ius omninò obtinebant. Huc pertinet exclusio Vicarii Prioris Vrsonen. qui exclusus fuit solo prætextu, quod electus fuisset intra octo menses à die emissæ renutiationis per Priorem eiusdem Conuentus, iuxta *Text. Constitutionū, lib. 2. part. 2. cap. 2. n. 11. exaduerso allegat. in prat. Restr.* §. 33. sed adhuc eius exclusio fuit iniusta, quia

Consti-

Constitutiones loc. citat. loquuntur de Renunciationibus voluntariis, quæ fiunt à Prioribus pro aliis subrogandis; Renunciatio autem in præsenti secuta fuit ex Causa omnimodè necessaria, quæ legitur *præterito nostro Summar. addit. num.* 2. Et rursus, tam dicta Renunciatio, quam electio Vicarii Prioris in Personam P. Ferdinandi de Mugnos admissa fuit à Reuerendissimo tunc Vicario Prouinciali, qui potiebatur specialibus facultatibus, sibi super hoc à Reuerendissimo Generali subdelegatis *d. Summar. num.* 3. v. itaut cum legitimè Vicariatum assumpsisset, locum quoque, & votum in Capitulo obtinere debuisset, iuxtà alium *Textum Constitutionum part.* 4. *cap.* 20. *num.* 6. *relat. in* 1. *nostro Restr. §. Præsertim*. Huius autem exclusio cum præcisè super hoc protestatus fuerit, *vt in præsenti Summar. num.* 2., nullitatem irreparabilem importat electionis.

16 Sic se habet etiam exclusio P. Diaz de Fexada Rectoris Collegii S. Alberti: Nam exclusus fuit prætextu illi inflictæ excommunicationis per assertum Iudicem delegatum, de cuius tamen delegatione non constat, & nisi exhibeatur Iudici ipsi non creditur quia delegationem ipsam debet exhibere, vt inquit *Leon. de præparat. Iudic. part.* 2. *cap.* 25. *per tot. Rot. decis.* 235. *num.* 4. *part.* 2. *recen. decis.* 309. *num.* 2. *coram Caprara* ibi -- *Cum huiusmodi assertio Iudicis non iustificetur ex actis nullam facit probationem, & decis.* 8. *ad ornat. Card. de Luc. de Iurisdict.* Maximè quando iandiu causa agitur, vt si adfuisset ista delegatio, exhiberi potuisset; Et quod plus est de illa dubitari plurimum valet, quia ipsiusmet Iudicis attestatio, de qua *in contr. Summar. num.* 14. relationem habet ad delegationē sibi factam à Reuerendissimo Nuncio longè antè quàm contigisset casus ipsius P. Diaz in Priorem: Vndè vix credi potest, quod adfuerit ista præuentiua delegatio facta per Reuerendissimum Nuncium, vt dictum fuit in *nostris Respons. §. Ast mirum cum seq.*

17 Sufficit verò ad iniustitiam eius exclusionis, ea ponderatio, quod reiectus fuit absque eo quod præcesserit eius citatio, & assignatio defensionum cum causæ priuationis communicatione, Nam aliter, quam his omnibus seruatis, ad illius exclusionem deueniri non poterat: ita præter alios adduct. in puncto tradit laudat. *P. Lezana tom.* 1. *cap.* 15. *de oblig. Regul. in Elect. num.* 34. ibi -- *Præsidentes Electionibus Regularium debent iuxta instituta suarum Religionum procedere; non possunt autem priuare Religiosos Capitulares voce actiua, vel passiua sine eo, quod prius citentur ipsisque detur copia eorum, quæ contra ipsos sunt fulminata, vt possint se defendere; Quia nemo potest condemnari inauditus, & defensiones sunt de Iure naturali &c. quod adeò verum est, vt etiam si dicatur in commissionibus Præsidentium, vt possint priuare Religiosos Capitulares voce*

acti-

actiua. & passiua, non possint id facere, nisi modo prædicto, quià tales commissiones semper debent intelligi, seruato Iuris ordine.

18 Æquè certum est Augumentum Vocalium non admittendorum; Nam respectu eorum quatuor, qui erant excommunicati, & carcerati in Collegio S. Alberti pendet Iustitia eorum admissionis ab assertis facultatibus d. Iudicis delegati, qui asserit, llos absoluisse, sed non docet de sua delegatione quæ vel de ea opponentibus aliis Vocalibus, & presertim ipso Collegii Rectore, qui voluit illos carcerare, tanquam non legitimè absolutos, vel etiam omninò ad legitimandum actum eorum admissionis, erat in ipso Capitulo exhibenda, & tamen constat ex actis exhibitis *in contrario Summario* quod exhibita non fuit, & istorum admissio in his terminis similiter importat nullitatem, vt præ cæteris tradit alter *Carmelita discalceatus à Spiritu Sancto in Director. Regular. tract. 5. disput. 2. sect. 1. num. 26.*

19 Fuit paritèr iniusta admissio ad suffragium ferendum sex Diffinitorum; Ipsis enim obstabat specialis Constitutio san. mem. Vrbani VIII. *in Bullar. Carmelit. part. 2. constit. 44.*, in qua ob disputationem exortam, an tales Deffinitores habere possent vocem in nouo Capitulò Prouinciali, negatiuè definitum fuit, etiam abrogando concessionem P. Generalis; & horum admissionis iniustitia probè noscitur exaduerso, dum nihil pro illa substinenda allegatum fuit.

20 Succedit admissio ad suffragium ferendum *P. Ioscphi Obiedo*, cui collatus fuit titulus Magisterij per saltum, & sine ascensione per gradus præscriptos a Constitutionibus, quod fieri non potuisse quacumque auctoritate Superioris Ordinis definiuit *hæc ipsa Sacra Congregatio 18. Martij 1700.*, *iuxta resolutionem impress. in dicto Bullario Carmelit. part. 2. inter Constitut., & Decret. san. mem. Innoc. XII. 17. fol. 679*, quæ per extensum datur *in præsenti Summario num. 3.*

21 Addi possent admissiones aliorum, nempè Prioris Conuentus Gierez, & P. Prioris Conuentus de Trigueros, de quibus *in præterito nostro Restrictu*. Itaùt numeratis Vocalibus, qui vel fuerunt admissi, & admitti non poterant, & aliorum, qui fuerunt exclusi, ac rursùs aliorum quoque, qui contra ita tentatam electionem sunt protestati, triginta duo sint Vocales, de quorum suffragio ratio habenda non sit, quando de cætero, stante protestatione rationabilitèr facta, spretus vnius, vel alterius dissensus sufficeret, *Barbos. Vot. decis. libr. 2. vot. 47. num. 186.*, *Castellin. de Elect. cap. 16. num. primo, & sequen.*, *Passarin. eodem tract. cap. 32. n. 33 & 35.*, *Rot. in Colonien. Canonicatus tertiæ gratiæ* 8. *Iunij* 1714. *§. Fuit coram bon. mem. Lancetta.*

Bre-

22 Breuitati autem consulentes, cæteras quoque omittimus nullitates, quas in præteritis comprobauimus, vel ratione *subornationis Votorum*, vel ratione *metus*, non ab ipso Præsidente, de quo tale quid nusquam suspicari ausi sumus, sed à Fautoribus Aduersarij, vsurpato nomine eiusdem Præsidentis, vt præ cæteris probat attestatio P. Pestagna, de qua vtitur *contrarius Restrictus* §.12., subdens post verba ibi relata, ita = *quello che hò potuto cauare, è il fare la volontà in tutto del Signor Arciuescouo, perche è cosa certa, che per bene, ò per male così s'hà da fare* = *nostro præterito Summario sub num.* 16.; Iunctis tot alijs attestationibus cum releuantibus circumstantijs, & subornationis Vocalium, & incussionis dicti metus, quæ, quidquid sit si singulariter ponderentur, tamen si simul iunctæ, proùt in Iudicio fieri debet, examinentur, concludunt pro eadem subornatione, & metu, pro quo sufficit, vt inducatur violenta suspicio, ad nullitatem ita factæ electionis inde inferendam, sicut in specie concludit *Lezan. tom.4. citat. consult.* 10 *num.*37. *& sequen.* ibi = *violentam autem se vehæmentem suspicionem arctare Iudicem ad credendum delictum, ita vt tergiuersationibus non excusetur tenent &c. præcipuè in tractatibus secretis, qualis est electio*.

23 Ad ea, quæ dicebantur circa probationem deductam ex documentis à nobis exhibitis, nempè declarationibus *Iuratis* ipsorummet Vocalium, satisfecimus *in Responsione ad contr. Memor. addit.*; Proùt *in Responsione ad Restrictum* §. *Similiter, & sequen.*, plenè respondimus ad assertam Vocalium, & Conuentuum acceptationem, docendo, quod in circumstantijs secutæ huius controuersæ Electionis cum præcedentibus, & subsequentibus protestationibus, actus subindè facti nullam important acceptationem, neque acquiescentiam, ex auctoritate signantèr *P. Lezana tom.*4. *dicta consult.*10. *num.*50. *cum seqq.*

24 Quemadmodum denique ex his in aperto positam credimus nullitatem, ita nobis suademus ne quidem verbum fieri posse de sanatione; Tùm quia nullitates prædictæ sunt nimium graues, nec est aperienda via, vt Sacri Canones, & Constitutiones conculcentur spe talis sanationis, quam iam semel idem P. Didacus Aduersarius obtinuit; Maximè quando constat de eius ambitu, attenta signantèr Epistola, de qua *præterito Summario Additionali num. primo*, qui quamcumque excludit possibilem eius Electionis confirmationem, vt in specie tradit *Lezan. citat. consult.*10. *num.*34. *& sequen.*, ibi = *si autem tales Electi ambitiosi fuerunt, vtique indigni reputantur, Indignus autem nedum confirmari, sed potius* (*vt per hyperbolem dixit Sigism. de Bonon. supra num.* 61.) *decapitari meretur Gloss. &c. Ambitiosus denique etiam si aliàs esset Sanctus*

(*pro-*

(prout de istis PP. Religiosis existimari debet) ex ambitione redditur indignus : Tùm etiam quia iuxtà ea , quæ habentur in declarationibus , de quibus *in dicto præterito Summario Additionali num.4. 5. 7. & sequen.* peccatum fuit sub spe obtinendæ eiusdem sanationis, vndè tantò minùs est admittenda, vt *in præterito nostrô Restrictu §. Nec est tum sequen.* , ad quem &c.

Quare &c.

I. Andreas Scaramutius Aduoc.

Matthias Moriconus.

Sac. Congreg. Episcop. & Regularium
Emo, & Rmo D. Card.

S. AGNETIS
PONENTE.

Ordinis Carmelitarum Prouinciæ Bethicæ.

PRO
RR. PP. Vocalibus eiusdem Prouinciæ.
CONTRA
R. P. Didacum Thomam de los Rios.

Noua Responsio Facti, & Iuris ex gratia viden.

Typis Zinghi, & Monaldi 1726.